

SERIES ALPHABETICA huius
VOLUMINIS.

A	
De Actionum cessione	952.
in successoris universales	972.
necessaria	986.
Alienatione	686.
A. R. P. G. L. G.	123.
Affecuratio	668. b.

C	
De Cambijs	674.
Codicillis	392.
Collatione	271.
Comodato	538.
Conductione	612.
Conditionibus	344.
Conubijs iure	69. 75.
Constitutionibus P. P.	45.
Contradijs innominatis	650.
Cessione actionum	952. 972.
.	986.
Civilitatis mutuo	500.

D	
De Decretis	45.
Delegatione	910.
Deposito	550.
Denunciatioe litis	636.
Divisionibus iuris	i.
Dominio	123.

E	
De Errore	778.
Evidentijs	626.
Excussiois Except.	924.

F	
De Fide	704.

I	
De Institutione Heredu	309.
Inventario	412.
Integri restitutioe	808.
iuris divisionibus	i.
iure conubijs	75.
restitutiois	428.
retentionis	884.
innominatis g. libijs	650.

L	
De Legitimatione	83.
Legitima	237.
Locatione	612.
Legibus	17.
Litis denunciatioe	636.

M	
De Matera tutela	98.
Metus restitutioe	632.
Monopolijs	592.
Mutuo civitatis	500.
Novatione	896.
Optione	381.

Diss. v. 49

910.

DEO DUCE & AUSPICE.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
De
DELEGATIONE

Ex Decreto atqve Auctoritate Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis in Illustrissima Leucorea.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimi

DN. SAMUELIS RITTERI, J. U. D.

& Prof. Publ. Curia Provincialis Scabinatus Facultatisq; Juridicae Adfessoris, Fautoris, Promotoris, & Praeceptoris summi atq; aetatem devenarandi.

pro

LICENTIA

Capesfendi summos in utroq; Jure honores Privilegiaq; Doctoralia.

In Auditorio Majori ad d. 17. Novembris.

Publico Eruditorum examini

subjecit.

Casparus Lyserus Lips. Misnicus.

Curia Electoralis Advocatus Ordinarius.



WITTEBERGÆ

Typis JOBI WILHELMI FINCELII

ANNO M. DC. LIII.



DEO GRATIAS AGERE
DISECTATIONE M. J. A. G. R. N. L. E. M.
P. R. I. N. C. I. P. I. O. D. O. M. I. N. O.

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

DE BOHEMIA

Anno M. DC. LXX.



911

ILLUSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO

Dn. Johanni Georgio

Duci Saxoniae Juliae Cliviae & Mon-

tium. S. Romani Imperii Archimareschallo & Ele-

ctori, Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae

nec non Superioris & Inferioris Lusatiae, Burg-

gravio Magdeburgensi, Comiti Marcae

& Ravenspurgi, Domino in Ra-
venstein:

Domino meo Clementissimo.



Lementissimum adfectum, quo *Illustri-
sima Tua Celsitudo* Parentem
Avumque, pia memoriae, profecuta
est, & in me, indignum quidem, de-
rivari intelligo. Ferme ut mirabilis
illa magnetis vis in ordine cohæren-
tes usus distribuitur. Declaravit enim eundem
nuper *Illustri-
sima Tua Celsitudo*, dum me Ad-
vocatam Curiae huius loci Supremæ voluit con-
stitutum & confirmatum. Quare ut *Illustri-
sima*

)

huius




*huius Clementiæ meæque simul, gratæ ac debitæ sub-
jectionis aliquod extaret testimonium publicum, di-
sputationem hanc Celsissimo Tuo Nomini non eqvidem
dignam, debitam tamen, volui consecratam ac dicatam.
Satius est, aliquid præstare, quam ut debitum negli-
gatur. Gratus animus impetrabit veniam, & expia-
bit temeritatem. Igitur accipe Illustrissime ac Po-
tentissime Princeps Clementissima ac Indulgentissima
dextra exile hoc debitæ subjectionis meæ munus,
meque eorum, quos Illustrissima Clementissimaq; Tua
gratia prosequeris, numero adscribere non degigna-
re. Celsissimus Deus Celsitudinem Tuam seris seruet
annis vigentem & florentem.*

Sereniss. Tue Celsitud.

*Fussius a Delegatione differt ut patet ex
Nov. 137. c. 6. Felini. in c. 12. 4. ff. ordin.*

Subjectiss.

Casparus Lyser.



I N J.

E Ateor atqve etiam profiteor multos olim fuisse & hoc seculo haberi, qui eam in sententiam feruntur, disputationes grammaticas de Etymologia vocis prorsus inutilites esse, legesqve Jctorum haud subiacere Prisciano: Verum quia hoc ipso res ipsa melius dignoscitur, faciliorque aditus ad altiora praparatur, & turpissimum est, prius rem determinare quam terminos ipsos intelligere; Idcirco missis quorundam opinionibus, malumus facere cum Jctis nostris maximæ etiam autoritatis, tam veteribus quam etiam recentioribus, qui in investiganda Etymologia vocis omnem adhibuere diligentiam, sicuti patet fecisse Ulpianum *l. 1. §. 1. D. d. pact.* Paulum *l. 1. D. d. furt. & c.* & ad faciliorem intellectum hujus materiæ dissertationem hanc nostram à notatione nominis exordiemur.

Delegationis namque vocabulum quod à delegare derivatur, compositum est ex præpositione de & verbo legare, & à variis varie accipitur, neque unius ejusdemque specificationis existit, idque non modo ex nostro Jure, sed & ex aliis probatis Autoribus citra difficultatem colligitur. Aliquando enim idem significat quod missio. *Cic. l. 12. ad Attic:* Nonnunquam accipitur pro demandatione, ut apud *Cic. & Quint:* frequenter reperitur *§ l. 1. D. d. off. ei. cui:*

A mand.

Etymon.

Homonym.

1.

2.



.3.

.4.

.5.

Synonym.

Definitio.

actus

publicus
&
privatus

apud

confirmatio

mand. est jurisd. dicitur, Jurisdictio delegata pro
demandata. l. 2. D. ad l. Jul. pecul. habetur pecu-
 nia delegata pro constituta vel assignata ut & l. 12.
 D. de nov. & deleg. Ut plurimum pro mutatione l. 12.
 ff. de cond. furt. l. II. C. de donat. & hoc in signifi-
 catu delegatio ad propositum nostrum optime ac-
 commodari poterit, ut hoc loco revera idem fit
quod mutatio & debitoris & creditoris & per conse-
quens & debiti & crediti. in qua significatione ita etiam
 definimus s. potius describimus.

Delegatio est actus quo quis vice sua
 alium reum dat creditori suo, vel ei cui
 creditor jusserit l. II. ff. de nov. & deleg.

Generis locum in nostra definitione sustinere
 potest vocabulum actus, qui duplicis generis existit,
 publicus nempe & etiam privatus l. 7. C. de fer. de
 quo nam igitur nobis jam sermo esse debet, dispeci-
 endum erit; Dicimus itaque utroque modo eam fieri
 posse, tam publice quam etiam privatim, non etenim
 necesse est, ut debitor obætatus alium debitorem suum
creditori suo vice sua publice atque in Judicio det,
sed sufficit si creditor & debitor una conveniant &
de substitutione alterius debitoris consentiant, libe-
 rum etenim est creditori, debitori alium debitorem
 vice sua substituentem apocham dare, atque in ea
 testari satisfactum esse sibi à debitore per substitutionem
alterius debitoris, multo minus necessarium esse du-
cimus, ut ad confirmationem talis actus judicis vel
alius magistratus superioris auctoritas atque ratifica-
tio accedat; sed sufficit si partes inter se consentiant
 l. 1.

l. 1. C. de nov. & deleg. non tamen propterea penitus eam rejicimus, sed liberrimam facultatem partibus relinquimus, an adhibere eam velint an vero non.

Differentia desumpta est I. ab objecto i. e. materia s. rebus quæ delegantur; & est persona nova, & quidem debitori obligata, necesse namque est, ut personæ novæ interventu delegatio constituatur, id quod ex verbis *l. 11. ff. deleg. & l. 2. C. eod.* colligere possumus; dicitur enim ibi *alium reum dare creditori, ut & delegatione personæ rite facta*: quæ ipsa verba satis indigitant, per interventum novæ personæ delegationem solum fieri, nullam autem rem vel novam obligationem denotari: quin imo hoc ipso etiam à novatione distinguitur ac separatur, quæ est prioris debiti in aliam novam obligationem non autem personam translatio seu transfusio *l. 1. ff. b. hoc nimirum modo*, ut ex præcedenti causa nova constituatur, ita tamen ut prior obligatio penitus perimatur, s. ut perinde sit ac si nulla alia obligatio præcesserit. Hinc etiam de necessitate requiritur, ut persona delegata debitori qui eam delegat sit obstricta ex quocunque etiam titulo vel causa aliqua justa, id quod colligimus ex *l. 12. & 13. ff. b. & multis aliis locis*, in quibus expresse habetur, quod delegetur debitor: debitor a. is dicitur à quo invito pecunia exigere potest *per l. 108. ff. de V. S.* Quod si igitur alter nulla ex obligatione teneretur mihi, quomodo quæso possem quidquam ab eo exigere, nam quod alterius est sine ejus facto ad alium ego transferre haud possum *l. 11. ff. de R. J.* neq; etiam alteri iniquam conditionem inferre debeo *per l. 74. ff. de R. J.* Quin imo, si eum qui mihi obligatus haud est, de-

arbitraria

requirit.
1.
persona nova

Differentia
novatione.

.ff.
debitori obligata.

ff.

no.



legarem, ego me locupletem redderem cum alterius detrimento atq; jactura, id quod esset contra *reg. cap. 48. X. de R. J. in 6to.* peccatumq; tam contra tertium præceptum juris, quoniam suum non tribuo proximo, quam etiam contra secundum, siquidem hoc modo ipsum lædo plusq; juris in alium transferrem quam ipse habuissem contra *l. 54. ff. d. R. J.* Declaravimus jam delegatum debere esse obstrictum creditori suo, de donatore autem vix dici potest eum donatario obligatum esse, siquidem donatio est libera aliqua promissio s. liberalitas quædam, quæ coactionem in se haud recipit; quicquid tamen sit id ipsum textibus juris manifesto constat. & quidem *l. 5. §. 5. ff. d. dol. mal. except. l. 32. ff. b.* habetur quod donator delegari possit, neque dubium ullum subesse potest, quoniam donatario obligatus est: semel etenim perfecta donatione neque pœnitentialocus est. *l. 3. C. de revoc. don.* neque alio modo ea irrita fieri potest *l. 3. C. de usucap. pro don. l. fin. C. de revoc. don.* sed traditionis necessitas incumbit donatori §. 2. J. de don. nisi causæ revocationis legibus concessæ opponi possint. Removemus igitur mutum, quoniam stipulanti promittere non potest, §. 7. *J. de inut. stip. l. 1. ff. d. V. O. Surdum* quoniam verba stipulantis exaudire nō potest *l. 1. §. 15. ff. de Ob. & Act. d. §. 7. & l. 1. Furiosum*, siquidem nullum negotium gerere valet: §. 8. *J. de inut. stip. d. l. 1. §. 12. ff. de Obl. & Act.*

Ampl.
In sit do-
nator.

atq;

rao.

116.
habilis.

non potest delegari
debitor
surdus.
mutus.
Furiosus.

II. A delegationis causa efficiente, quæ est debitor, qui creditori suo obligatus est. Debitor autē sicuti jam dictum est, is dicitur, qui alteri obligatus existit, & à quo etiam invito creditor pecuniam exigere potest. *l. 108. ff. de V. S. nec non l. 10. ff. b.* requiritur igitur

gitur necessario ut talis debitor sit, qui alterum delegare possit. Quod ipsum denegamus pupillo per l. 15. ff. de solut. Et lib. nimirum quoniam administratio peculii ipsi omnino denegata est l. 48. §. 1. ff. de pecul. l. ult. ff. de nov. Et del. nisi tutoris auctoritas intervernerit l. 20. §. 1. ff. hic: aut meliorem suam conditionem fecerit, aut p[ro]bes factus ratam delegationem habuerit. l. 9. ff. b. §. 9. Et 10. f. de inut. stip: nec non prodigo & illo cui bonis interdictum est l. 12. in fin. ff. de tut. Et cur. dat. ab his qui. l. 6. ff. de V. O. nisi melior ipsius conditio exinde facta fuerit l. 3. ff. b. non enim interdictio extendi debet ad tales casus qui prodigo utiles esse possunt. Similiter filio familias per l. 23. ff. b. nisi pater administrationem peculii ipsi concesserit. de furioso qq. dicimus ipsum delegare haud posse, siquidem nullum negotium gerere potest, neque etiam quod agit intelligit. §. 8. f. d. inut. stip. tandem etiam de servo l. 16. ff. b. prior enim delegatio adhuc durat & perinde est, ac si nulla delegatio facta esset §. praeterea f. quib. modis toll. obl. l. 30. §. 1. ff. de pact. nisi dominus administrationem bonorum ipsi concesserit, aut de peculio in dominum actio dari possit. d. l. 30.

III. Ab objecto cui fit delegatio, quod est creditor, estque ille cui ex quocunq; contractu, ex quacunq; actione vel persecutione, vel jure civili, vel honorario, vel extraordinario, sive pure, sive in diem, sive sub conditione, ex quolibet etiam delicto debetur l. 10. §. 11. Et 12. ff. d. V. S. & in genere, is qui exceptione removeri potest, & cui solum natura debetur pro creditore habendus haud est per d. l. 10. is autem qui exceptionem aliquam temporalem timet, similis est creditori conditionalis l. 55. ff. d. V. S.

A 3

IV. A

914.
 IV. Debitor ad delegatorem
 faciendam habili.
 qualis non est
 Pupillus.
 Lim.
 .1.
 .2.
 .3.
 Prodigus.
 Lim.
 Filiofam.
 Lim.
 Furiosus.
 Servus.
 Lim.
 .1.
 .2.



Forma.

Consensus

Debitoris

Creditoris

Stipulatio.

ut

Litis Contest.

. III .

IV. A modo, necesse enim est ut fiat delegatio
I. consensu debitoris per l. 1. C. de nov.: nemo enim in-
vitus delegatur l. 6. C. eod.: Siquidem nec quisquam in-
vitus obligari potest l. 5. C. de obl. & act. l. 16. C. de jur.
delib; multo minus cogi quis poterit ad consentien-
dum l. 21. ff. b. & creditoris: quod si enim non con-
sentiatur creditor cui fit delegatio, contractus delega-
tionis perfectus haud erit, invito enim non datur l. 45.
§. pen. ff. mand. nec potest invito creditore aliud pro
alio solvi l. 99. ff. de solut. l. 16. C. eod. & certe nullus
contractus existit vel etiam existere potest, ubi non in-
ter cedat consensus l. 1. §. 2. ff. de pact. quin imo quo-
niam delegatio, ut jam dicemus, fit mediante stipula-
tione, non potest non aliter fieri quam si accedat con-
sensus l. 83. §. 1. l. 137. §. 1. ff. de V. O. Ut fiat & aut
per stipulationem, ea enim non intercedente jure
delegatio perfici haud potest l. 1. C. de nov. l. 11. ff. hic.
cum enim quis ab altero delegatur, h. e. vice debitoris
creditori datur, necessario requiritur, ut stipulanti cre-
ditori promittat; aut per litis contestationem, quando
nimirum creditor debitorē suum in iudicio convenit,
& tertius pro eo comparet ac in se suscipit iudicium,
atque in se transfert obligationem, litemq; cum acto-
re contestatur, promittens, id quod à iudice rectum
judicatum fuerit, se custoditurum esse. Ut fiat
III. vel per Scripturam vel nutum ubi sc. quis fieri non
potest, per l. 17. ff. b. certo enim, constare debet de
consensu, quomodo autem is qui verba proferre haud
potest, consensum suum declarabit, nisi alio aliquo
signo externo id fiat, commodior autem modus haud
inveniri poterit, præter Scripturam vel nutum: aut
ne-

915.
neceſſe eſt ut iſtatuamus, iſtis, qui conſenſum ſuum
aliter quã ſcriptura & nutu declarare non poſſunt, h. e.
qui dari non poſſunt, delegandi haud competere fa-
cultatem, ſicuti etiam ſuperius mutum removimus.
verum, hoc ipſum contrariatur jam legi noſtræ ad-
ductæ, ideoquẽ hoc modo reſponderi poteſt, nimi-
rum per diſtinctionem, nos hic loqui de eo, qui de-
bitorem ſuum creditori ſuo delegat, deque ipſo dici-
mus quod poſſit hunc actum perficere vel Scriptura
vel nutu, ſuperius autem diximus de eo qui delega-
tur.

Species delegationis duas conſtituimus Volun-
tariam nempe & Neceſſariam. Voluntariam eam
accipimus, quæ fit per ſtipulationem, nimirum quan-
do debitor debitori ſuo mandat, ut debitoris man-
dantis creditori debitum aut ſolvat aut ſolvere pro-
mittat, & ut vice delegantis ſtipulanti ſit obligatus
per d. l. 11. Ratio ob quam eam voluntariam nuncu-
pamus eſt, quia in ea & delegantis & ejus cui fit dele-
gatio & etiam delegati conſenſus adeſt. Sed jam quæ-
ritur; An ſola ſtipulatione delegatio voluntaria
contrahatur? id quod omnino adſerimus; quamvis
enim delegatio quæ fit per litis conteſtationem ex
parte actoris nec non ex parte delegati ſit voluntaria,
indubitate tamen eam neceſſariam eſſe adſerimus:
haud enim discernuntur à ſe invicem voluntaria &
neceſſaria ratione conſenſus & voluntatis quæ ne-
ceſſaria quoque inſunt, ſed ſecundum quid tantum ſi-
bi invicẽ opponuntur: niſi enim reus ultro iudicium
& delegationis neceſſitatem ſubiret, pignoribus captis
aut alio modo ad id cogeretur: ac licet etiam delegatus
ſpon-

Obj.
ſy.
Diviſio
voluntaria.

Q.
A.

sponte pro reo intercedat, ipsumq; hoc modo à ne-
cessitate suscipiendi iudicii liberet, respectu tamen cau-
sæ ob quam intercedit necessariam suscipit conventio-
Necessaria nem. Necessaria itaq; erit quæ fit per litis contestatio-
nem seu per iudicii acceptionem, estq; ea quando quis
nolens volens compellitur ad eam faciendam, nimi-
rum per sententiam, & licet litis contestatio non est
invitorum sed actoris & rei consentientium in Judi-
cem, iudicium tamen redditur in invitum *l. inter sti-*
pulantem 83. §. 1. ff. de V. O. & hæc etiam ratio est ob
quam necessaria nuncupatur, exinde tamen negari
non poterit, ex parte actoris voluntariam quoq; eam
esse, ut modo dictum. Differunt autem hæc duæ spe-
Differunt cies inter se per multum. Is namq; qui per stipula-
tionem creditori delegatur non modo consentire,
sed etiam stipulanti creditori verbis promittere debet
per l. 1. C. b. E contra autem in ea delegatione quæ fit
per litis contestationem longe aliter se res habet, de-
legatur enim tunc debitor etiam ignorans & invitus,
ita ut à creditore alteri actiones cedantur & manden-
tur, solaq; cessio actionum & litis contestio delegatio-
nem hanc operantur. *l. 3. C. b.*

Finis & Effectus

Finis & effectus delegationis est, ut non solum
prior obligatio una cum omnibus suis accessoriis nem-
pe hypothecis pignoribus & aliis perimatur, fidejusso-
res liberentur, usuræ desinant currere, verum etiam
ipse reus principalis tutus ac liber sit ab omni exactio-
ne: siquidem delegatio est solutio vel potius quasi solu-
tio, quoniam in ea verba sunt loco solutionis, credi-
tor enim liberatur ab nexu obligationis, siquidem a-
ctio adversus debitorem suum nempe delegantem
ipsi

916.

ipsi amplius non competit, competit tamen ad ver-
sus delegatum, & debitor quoque non amplius ob-
ligatus est creditori suo, sed absolutus per delegatio-
nem, neque ullam exactionem debiti timere potest.
Quod si igitur quis ex pluribus causis creditori suo ob-
strictus est, ac propterea debitorem suum delegat,
cujus tamen debiti summa non omnibus, sed certis
tantum debitis sufficit: quaeritur, num delegans sit li-
beratus, priorque obligatio perierit? Si quidem fa-
cta fuit delegatio: per delegationem autem prior
obligatio una cum suis accessoriis extinguitur? Sed
Resp. delegationem quidem perfectam esse, & dele-
gantem quae omnimodo liberatum esse, si sc. creditor
hanc delegationem acceptaverit, ita quidem ac si
per eam omnimodo sibi satisfactum esset: quod si v.
creditor delegationem non in totum, sed in tantum,
ut dicunt, admiserit, facile exinde colligere licet,
debitorem delegantem penitus ab obligatione prio-
re liberatum haud esse. Dubium igitur hoc remanet,
quamnam obligatio extincta esse debeat per factam
delegationem, ac per consequens cuius in arbitrio
sit dicere, quod debitum ex solutum esse velit? Et
primum quidem dicimus esse in arbitrio delegan-
tis dicere, a quo potius debito per delegationem se
voluerit liberare: quod si autem delegans non dixe-
rit, pro quo debito delegaverit, positum est in arbi-
trio accipientis delegationem, cui debito acce-
ptum ferre velit; interim tamen ipsi liberum haud
erit, delegationem pro eo debito accipere, quod
adhuc est in controversia, neque etiam in illud in
quod pro alio fide iussit, aut cuius dies nondum
B vcnit

venit, sed necesse erit ut in illud debitum imputet, id quod si ipse debuisset, delegationem fecisset. Si itaque omnia debita fuerint similia, tam ratione diei quam ratione contractus, liberum relinquimus partibus, quam obligationem extinctam velint, aut potius deleganti, siquidem etiam nullum periculum subesse potest; quod si autem inæqualitas quædam adest, ita ut unum debitum gravio-rem causam habeat præ altero, dicimus in durio-rem causam delegationem factam esse, quilibet enim se magis exonerare cupit ab eo quod gra- vat, quam ab eo, à quo nihil durum timet.

Diximus modo per delegationem fidejusso-riam quoque obligationem perimi, quoniam is qui delegat reum, solvere dicitur, *l. 8. §. 3. in fin. ff. ad Senat. Vellej. l. qui libertinus. 37. ff. de oper. li- bert. l. 26. §. 2. ff. mand.* Solutio vero est rei debitæ satisfactio seu liberatio *tot. tit. ff. de solut. § li- ber.* Jam autem per solutionem ejus quod debe- tur obligatio tota una cum accessoriis suis omni- bus extinguitur, & debitore liberato, per conse- quens fidejussor quoque dimittitur *l. 19. ff. de dolo malo l. 43. ff. de solut:* reo etenim creditori suo sol- vente, non solum ipse, sed & qui pro eo inter ve- nerunt liberantur, *in princ. Inst. quib. mod. toll. oblig.* quin imo si fidejussor creditori solvens, non solum ipse liberatur, sed etiam principalis debitor, eatenus scil. quatenus solutio ad ipsum respicit, *princ. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 24. ff. de solut. l. 53. ff. mand.* multo magis liberabitur fidejussor si reus principalis exsolverit debitum; parum enim
credi-

917.

creditoris inter est, quis solvat, an ipse debitor, an fidejussor; an alius quispiam: quoniam etiam per extraneum solutio & per consequens liberatio contingere potest. *l. 50. ff. mandat. l. 5. C. de solut.* Cum igitur delegatio cedat loco solutionis, dubium occurrit, num ea fieri possit, in præjudicium creditoris anterioris? Ad quod respondemus per distinctionem. Aut enim anterior creditor delegationi à debitori factæ consensit. Aut vero non consensit. Priori casu hæc delegatio omnino solutionis vim habebit. *per l. 203. ff. de R. J. c. 86. X. de R. J. in 6to.* Siquidem damnum quod quis sua culpa sentit, sibi ipsi, non vero aliis imputare debet. Posteriori vero casu non. Nam per solutionem quidem tollitur obligatio ipsa atque etiam nomen debitoris. *l. 40. §. ult. ff. de pignor. act.* per delegationem autem prior obligatio quidem tollitur, nomen vero non, sed illud ipsum manet mutata tantum persona debitoris *l. 11. ff. de deleg. quæ mutatio anteriori creditori nocere haud potest*, siquidem debitori creditoris conditionem deteriore facere non licet. *l. 15. C. de pignor.* Quod si tamen debitor, posteriori creditori cui delegatus erat, debitum exsolvit, omnino ab obligatione qua antea tenebatur liberatus erit, quoniam ut antea diximus, solutione non tantum obligationem sed & nomen ipsum extingui. *d. l. 40.* licitum fuit etenim posteriori creditori vigilare ad consequendum debitum suum, cæteri autem creditores suæ negligentiae expensum ferre debent *l. 24. ff. quæ in fraud. credit.* Hæc jam dicta autem sub distinctione ita accipimus.

mus. Aut per gratificationem debitum consequutus
est: Aut per justam exactionem. Priori modo re-
vocanda erit exolutio. Posteriori vero modo nequa-
quam. Jura namque vigilantibus sunt scripta *d. l. 24.*
Quin imo si etiam contingat delegatum labi facul-
tariibus, delegans tamen haudquaquam molestari de-
bet, debitumque ab ipso peti: bonum enim nomen fa-
cit, qui admittit debitorem delegatum, quamvis is
postea solvendo non existat. *per l. 18. ff. de fidej. Et*
mandat. sibi namque imputare debet, quod non di-
ligentius inquisiverit in facultates delegati. Hinc
delegatione facta inopis debitoris, nemo nisi mi-
nor restituitur; nisi delegantis dolus intervenerit.
Haudquaquam enim laesus videtur, qui per delega-
tionem accipit inopem debitorem, facit enim eo
ipso quod delegatum debitorem admisit bonum no-
men *l. 26. §. 2. ff. mandat.* cum enim delegatio spe-
cies quaedam novationis esse dicatur, quoniam om-
nis delegatio est novatio, per novationem a. prior
obligatio perimitur *l. 1. ff. de novat.* solutionisque
vice ea est sibi igitur imputabit, quod non magis
idoneum admiserit. *l. 1. §. 11. ff. de separat. l. 2. C. de*
furt. necquicquam enim praetendere potest, qua-
propter ipsi restitutio esset concedenda, quoniam
nullum damnum sentire is dicitur, quod propria
culpa sentit *l. 203. ff. de R. J.* Et quamvis vero
simile haud esse videatur, creditorem delegatio-
nem admissurum fuisse, si scivisset delegantem esse
inopem, moxque bona decocturum; debuisset enim
in facultates delegati majori diligentia inquirere,
an dives, an vero pauper, an facultatibus mox lapsu-
rus,

rus, quapropter etiam damnum quod postmodum sentit non aliis sed sibi ipsi imputare debet *l. 19. ff. de R. J. c. 86. de R. J. in 6to.* Quod si dolo debitoris persuasus fuerit delegationem admittere, iustam causam petendæ restitutionis habet. *l. 8 9. §. 1. ff. de dol.* Dolus enim dans causam contractui, ipsum iure nullū reddit, ita ut non tantum restituatur prior obligatio per delegationem perempta; sed etiam præteriti temporis usuræ & emolumentum illud quod creditoribus præstari solet & debet. *l. 24. §. 4. ff. de minor. l. 1. C. de sentent. pass. Et restit. Vel minor quis fuerit l. 27. §. 3. ff. de minor. l. 48. in fin. ff. de fidejus. Et mandat.* Singulari enim favore ætatis minoribus hoc privilegio succurritur, quoniam facillime decipi possunt: quod si igitur minoribus hoc ipsum specialiter indultum est, sequitur per necessariam consequentiam id ipsum beneficium maioribus denegatum esse *l. 12. ff. de judic.*

Cum autem quandoque accidere soleat, ut moneta augmentum accipiat, quandoque etiam deterioretur; sicubi igitur delegatio facta fuit, dubium occurrit ad quem periculum & ad quem commodum spectare debeat? Id quod per distinctionem optime declarari poterit: nimirum, aut enim ante factam delegationem mutatio monetæ contigit, aut vero post eam factam. Posteriori casu, si post delegationem facta fuit mutatio in moneta, tam quoad bonitatem extrinsecam, quam etiam quoad intrinsecam, omnimodo indemnus servandus erit creditor cui delegatio facta fuit; quod si igitur creditor in quantitate delegata monetæ deteriorationem pate-

retur, haudquaquam hoc modo indemnis servaretur, commodum namque delegationis ipsi minuere-
tur atque eriperetur. Si ante delegationem su-
pervenerit, iterum distinguendum erit. Aut certa
quantitas à debitore delegata fuit, aut ita delegatio
ab ipso facta est, nimirum certæ quantitatis, ut debi-
tor omnino liberatus esse debeat.

Priori modo augmentum haud debetur illi,
cui delegatio facta fuit; Cum enim certa ac justa
quantitas ipsi delegata est, absurdum est, si ipse plus
consequeretur ex delegatione, quam ipsi delegans
constituisset; Siquidem omnino inspiciendum erit,
quid in contractum talem deductum fuerit, quid ve-
ro non deductum. *per l. Rutilia. 69. ff. de contrab.
empt.* neque tamen illud augmentum quod conti-
git propterea statim debitoris lucro, qui delegatus
fuit, cedere debet, sed illi creditori, qui ipsum cre-
ditori suo delegavit: non enim delegationem ita fa-
cit creditor, ut prodesse debeat debitori quem dele-
gat, sed potius ut emolumentum ad ipsum redundet,
est enim tale augmentum ipsius debiti principalis
pars quædam *l. 3. ff. de reb. cred. l. 94. ff. de V. O.*
aut nisi ipse delegans profiteatur, se augmentum
simul delegasse, siquidem dum hæc militat regula
vulgata. *Volenti non fit injuria.*

Posteriori modo si nempe ita delegatio certæ
quantitatis facta fuit, ut ea soluta debitor omnino li-
beratus esse debeat, dicimus augmentum nullum
deberi neque veteri creditori, neque etiam novo; Quo-
niam præcipue spectandum est; ex qua nam causa
me obligaverim, ne alioqui effectus latior sit,
quam

219.

quam fuit sua causa: causa autem ob quam me obligavi alia non fuit, quam ea numeratio quæ à te mihi facta fuit. E. non nisi eatenus quatenus revera mihi numeratum est, obligatus videri debeo *l. 9. C. de non num. pec.* In id autem quod summam excedit, certe sine causa obligatus sum, mihiq; exceptio doli datur contra petentem *l. 2. §. 4. in fin. ff. de dol. except.* ergo ad id exolvendum nequaquam obstrictus ero. Siquidem manifestum est, quod delegatio sit novatio: novatio autem est prioris debiti in aliam novam obligationem vel personam translatio, igitur nec aliud peti poterit, quam quod in obligatione delegentis comprehensum fuit *l. quicquid 99. ff. de V. O.* Et quamvis modo diximus, monetæ augmentum esse partem sortis principalis, ita tamen hoc ipsum acceptum volumus, ut nempe eodem jure censeatur esse, quo fuit principale debitum, & quamdiu principalis obligatio adhuc subsistit; quod si principalis obligatio per solutionem extincta atq; sublata est, quid possit absurdius dici quam si statueretur adhuc actionem aliquam super esse *per l. 9. §. 1. ff. de solut.*

Quod si igitur petitio augmenti adhuc super est, dubitatur contra quem ea institui debeat, an contra veterem debitorem, an vero contra novum? Non contra veterem instituenda est, siquidem ipse per delegationem liberatus, nec ulla actio contra ipsum dari potest: nam cui semel liberatio cōtingit, ille absq; novo facto in obligationē recidere haud potest: multo minus igitur poterit conveniri *l. 98. §. 8. vers. nec admissum. ff. de solut. § lib.* E. contra novum erit insti-

instituenda: hic autem sibi imputare debet, quod non magis cautus fuerit, cum creditori stipulanti promitteret. *l. 19. ff. de R. J. c. 86. de R. J. in 6to.* nec etiam propterea debitor delegatus audiendus erit, quoniam certum est, si contrarium evenisset, postulaturum haud ipsum fuisse *l. 24. C. de solut.*

Fit autem nonnunquam ut debitor creditori suo pignoris loco deleget debitorem suum, contingetne liberatio debitori deleganti, ita ut neque contra ejus personam neque etiam contra ipsius bona creditor agere valeat? Id quod primo asserendum videtur, siquidem creditor liberam habuit potestatem conveniendi debitorem suum delegatum, instituendique actionem contra ipsum: quoniam imo etiam si debitor delegatus facultatibus labatur, delegato tamen facienda eo nomine molestia haud est, quoniam consentiendo delegationi nomen quod delegatur bonum efficitur: & certe si contra ipsum antequam ad paupertatem redigeretur egisset, debitum delegatum consequi potuisset. Verum quoniam delegatio facta haud est à debitore in solutum, sed tantum pignoris loco nomen erat cessum atque actiones contra ipsum mandatae, id quod fieri jura permittunt. *l. 4. C. quae res pign.* neque etiam creditor cogi potuit ut ageret *l. un. C. ut nem. invit. ag.* liberum etenim cuilibet creditori est habenti multa pignora, quibus distractis ad commodum suum pervenire velit *l. 8. ff. de distr. pign.* ita ut etiam si contra debitorem pignoris loco delegatum agere ceperit, ad principalem tamen recurrere liberum ipsi sit. Obligationes enim non nisi certis modis contrahi debent atque etiam

920.

etiam dissolvi, qui igitur actione hypothecaria agit, exinde non statim amittit actionem personalem *l. 14. C. de O. & A.* igitur nec veram delegationem contractam esse quisquam affirmare audebit. Quandoque etiam creditor debitorem suum sub conditione delegat, ita nempe, promittendo, si statuto tempore delegatus non solverit, se adhuc soluturum: sed nec tunc vera delegatio facta erit, multo minus hoc modo delegans se liberavit, sed pristina obligatio adhuc durabit, donec statutum tempus advenerit: quod si autem tunc delegatus in mora est, omnino delegans tanquam principalis debitor conveniri potest, neque tuebitur se exceptione delegationis: promisit etenim se soluturum si delegatus non solverit: neque etiam beneficio excussionis juvabitur, non enim delegando bonum nomen fecit, per quod fuisset liberatus, quod tamen facere debuisset; quin imo non debuit esse liberatus, antequam à delegato solutio facta fuit, vera igitur delegatio celebrata haud fuit, priusquam solutio actualis à delegato perficeretur, sed adhuc ipse tanquam debitor principalis priori obligatione obstrictus ad solutionem condemnandus est, pristina enim obligatio permansit, ita ut etiam delegatus delegantis debitor adhuc sit atque maneat. Dicimus itaque delegatum tanquam fideiussorem accessisse: sed antequam fideiussor tenetur reus principalis excutiendus est. *auth. presente C. de fideiuss.* quæ executio usque ad sacculum & peram fieri debet, nisi fideiussores renunciaverint huic beneficio. *l. 29. C. de pact.*

C

Qvo-

probatio.

pro ff.

2.

9.
Quomodo igitur probari poterit veram de-
legationem contractam fuisse? siquidem in no-
vatione necessario requiritur eam expressis verbis
fieri *l. ult. C. de nov.* num igitur in delegatione
id ipsum quoque necessarium erit? quoniam^v dele-
gationi inest novatio, eaque fieri haud potest nisi
intercedat novatio, consequens igitur erit, nec ea,
quæ in novatione requiruntur necessario, in dele-
gatione abesse posse, quin² imo ex ipsa adducta
l. ult. hoc ipsum facile probare possumus. Verba
sunt: *vel aliam personam adhibuerit vel mutave-*
rit. quæ verba certe de novatione non erunt ac-
cipienda, quandoquidem in novatione haud ne-
cessario requiritur, ut alia semper persona accedat,
ita ut per eam debitor penitus mutetur: potest
quidem novatio fieri interventu novæ personæ: at,
non hoc ipsum absolute necessarium est, ut ut eti-
am verba priora de ea quoque accipi possint: postre-
ma tamen omnino de delegatione exaudienda e-
runt; siquidem in novatione debitoris persona mu-
tari haud potest, sed sola delegatio fit interventu
& mutatione novæ personæ, id quod ex definitio-
ne tum novationis, tum delegationis apparet. No-
vatio siquidem est prioris debiti in aliam novam
obligationem transfusio s. translatio *l. i. ff. de nov.*
Delegare econtra est vice sua alium reum dare
creditori vel cui jusserit. *l. ii. ff. eod.* Et profecto, si
in novatione persona debitoris mutaretur, prout
eam mutari in delegatione diximus, quænam di-
stinctio dari poterit inter eas? Ex quo certè inferre
possemus, distinctas & separatas eas species esse,
quibus

def. Barb.

quibus stipulatio contracta solveretur. Inconveni-
 niens quoque esset, hæc verba de persona fidejusso-
 ris exaudiendas esse, quoniam si omnino aliquid
 largiri necesse habemus, dicere volumus, priora
 verba de fidejussore accipienda esse, satisque ea de-
 clarare personam fidejussoris per novationem mu-
 tari posse, seu quod idem est, obligationem novari
 adhibita alia persona fidejussoria. Ex his igitur
 jam dictis abunde colligere licet, delegationem ex-
 pressis verbis debere fieri: quin imo nisi specialiter
 exprimat, delegationem animo novandi interpo-
 sitam fuisse, per modum exceptionis eam oppone-
 re haud licebit, quemadmodum etiam hoc modo,
 sapissime à Lipsi: pronunciatum fuisse reperi-
 re licet. Ex quibus modo prolatis consequentia
 talis formanda erit. Præsumptionibus & conjectu-
 ris delegationem factam fuisse haud probari, quo-
 niam expressis verbis delegationem factam de-
 monstrare debemus §. præterea Inst. quib. mod.
 toll. oblig. ea autem quæ per præsumptiones &
 conjecturas probantur, expressis verbis probata
 haud dici possunt, quin imo dictus § præsumptio-
 nes penitus removet. Verum quicquid jam dictum
 est, nos nequaquam movere potest, ut assensum
 præbeamus, quin potius adhuc pro vero adserere nõ
 dubitemus, præsumptiones & conjecturas aliquas
 sufficere ad probandam delegationem, nimirum eas
 ex quibus certo constare potest delegationem fa-
 ctam esse: quoniam illud quoque expressum dici
 potest, quod ex præsumptionibus & conjecturis
 seu ex necessaria aliqua consequentia apparet. l. ait.

Concluf.

2.

pro Neg.

1.

C 2

prator.



*Prator. §. 1. ff. de re jud. l. 77. ff. de hered. in
 stit. qvin imo iecundum Bart. & Jas. in l. prator
 ait. 20. ff. de oper. nov. nunc. expressum id dicitur,
 quod ex mente & sententia alicujus deducitur. Nec
 obstat §. præterea. Inst. quib. mod. toll. oblig. reji-
 cit n. is solum præsumptiones veteres, seu eas quæ
 ex antiquo jure promanabant, non etiam eas, quæ
 necessario significant; inductam esse delegationem,
 sicut nec eas, quæ ex verbis contrahentium colli-
 gere licet, quæ alias manifestas nuncupamus. Et
 certe ipse Imperator Justinianus in §. adducto
 quasdam præsumptiones tantum removet, nempe
 veteres, sed non omnes. Non igitur absolute ne-
 cessarium esse statuimus, ut expressis verbis dica-
 tur à contrahentibus, se hunc delegationis contra-
 ctum celebratum inter se voluisse, sed sufficit si
 appareat. 1. promissionem jussu & mandatu debi-
 toris delegantis factam esse. 2. quod promittens
 delegantis nomine promittat. 3. quod stipulanti
 creditori promittat & denique 4. quod loco primi
 debitoris solutionem in se recipiat.*

obj.

By.

Docisio.

mandu.

NB.

.1.

.2.

.3.

.4.

differt.

à solutione.

Hæc igitur nostra delegatio à quibusdam per
 multum differt: & quidem. 1. Ab ipsa solutione,
 quæ est vera seu realis totius rei debitæ satisfactio,
 facta per debitorem creditori, non solum tempore
 congruo, sed etiam loco justo, siquidem per eam
 non tantum liberatio contingit debitori. *pr. Inst.
 quib. mod. toll. obl:* hypothecæ constitutæ, pigno-
 ra data *l. 43. ff. de solut.* & fidejussores liberantur.
l. 71. ff. de fidejuss. & mandat: verum etiam ipsa
 obligatio quæ inter debitorem & creditorem con-
 tracta

922.
tracta erat, ita aboletur penitus atque tollitur, ac si
nulla unquam antea constituta fuisset, chirogra-
phum deletur, ejus autem loco apocha debitori
datur, [præstat enim liberationem debiti per apo-
cham demonstrare, quam per restitutionem chiro-
graphi; restitutio namque chirographi non libe-
rat ipso jure, sed per modum exceptis ea opponitur,
& quamvis per eam liberatio probatur. *l. si chiro-
graphum ff. de probat.* hæc ipsa tamen probatio
admodum fragilis est, contrariamque admittit, si ni-
mirum creditor probet famulum aufugisse, multa-
que instrumenta secum abstulisse, vel dominum fu-
isse spoliatum vel debitorum esse domesticum *per*
Dd.] nullumque amplius vestigium veteris obliga-
tionis remanet; id quod in nostra longe aliter se
habet. Contingit quidem in ea liberatio debitori,
hypothecæ, pignora, fidejussores qq. liberantur, ipsa
obligatio etiam interit, verum alia nova constitui-
tur in persona delegata, quæ ita vestigiis prioris ob-
ligationis insistet, ac si ea adhuc dureret, & nunquam
sublata fuisset.

2, Ab acceptatione, Et est ea liberatio per mutuam
interrogationem & responsum, quæ utriusque contingit
ab eodem nexu solutio. *l. ff. de accept. siquidem ea*
est imaginaria solutio §. 1. Inst. quib. mod. toll. ob-
lig. & in ea verba loco solutionis veniunt. *per d.*
l. 1 neque sub conditione *l. 4. ff. de accept.* neque in
diem fieri potest *l. 5. ff. eod.* nutu quoque perfici
haud poterit, quandoquidem & interrogatio & re-
sponso ad eam perficiendam requiruntur. Ast no-
stra delegatio quamvis in ea etiam verba loco solu-

2
ab acceptatione.

tionis sint, nova tamen persona quoque accedit, quæ creditor de novo obstricta existit; in diem etiam ac sub conditione perfici potest, deniq; etiam nutu eam fieri posse probat. *l. 17. ff. de novat.*

3.
A Novatione

3. A novatione quæ est prioris debiti in aliam novam obligationem transfusio atque translatio. *l. 1. ff. de novat.* & quidem absque interventu novæ personæ, necessario quoque requiritur ut contrahentes exprimant verbis disertis, se primam obligationem, abolitam velle, novamq; fieri *l. fin. C. de novat.* nec potest etiam nutu perfici. Nostra autem delegatio requirit de necessitate interventum novæ personæ, nec potest aliter perfici, nisi accedat nova persona, e contra a. necessarium haud est, ut verbis exprimatur à contrahentibus delegationem factam esse, & tandem nutu qq. ea perfici potest.

4.
A confusione

4. A confusione, ea autem est quando debitor heres creditori existit. *l. 75. ff. de solut:* vel si creditor debitoris hereditatem adierit *l. 95. §. 2. ff. ib:* vel tertius quidam utriusque succedit, in ea namque obligatio permanere haud potest. Siquidem contra naturam est, quod quis sibi ipsi aliquid debeat: per consequens igitur obligatio ea, quæ antea erat, penitus extinguitur, ita ut nec scintillæ quædam remaneant. Id quod nobis non accidit; obligatio quidem vetus extinguitur, debitor etiam liberatur; verum novus contractus novo cum debitore inicitur.

5.
A compensatione

5. A compensatione quæ est debiti & crediti inter se contributio seu collatio. *l. 1. ff. de compens.* siquidem in ea debitor qui à creditore suo convenitur,

923.

nitur, hunc ipsum creditorem suum, quoniam suus quoque debitor existit, petentem removet, paratusque est cum eo compensare *l. 2. ff. de compens.* Facta igitur hoc modo compensatione, solutio quidem & liberatio contingit, ita ut debitor creditori obstructus amplius non maneat, & creditor qui sui debitoris debitor erat quoque liberetur, nec ullus inter ipsos contractus, nulla obligatio etiam remaneat, eoque res deducatur, ac si nullus contractus inter ipsos intercessisset: in nostra delegatione autem liberatio aliter contingit pro ut modo ostensum fuit.

6. A transactione, quæ est de re dubia vel litigiosa terminanda pactio non gratuita, siquidem ea non solum præcedentem obligationem novat, sed etiam eam penitus perimit. *l. 6. C. de transact.* nostra autem delegatio fit quidem etiam in rebus litigiosis verum non in dubiis sed certis.

7. Ab apocha. Hæc est qua fatemur, nobis à debitoribus satisfactum esse per solutionem, obligationemque penitus extinctam. In delegatione a. satisfactio quidem nobis contingit, verum per substitutionem alterius debitoris ut pluribus ante dictum. Hæc igitur de hac materia in erudite & currenti calamo

scripta sufficiant

DEO sit Laus & Gloria.

••] (o) [••

.6.
à Transactione.


.7.
Ab Apocha.


00 A 6343

ULB Halle 3
002 928 566


1. Rubre ✓ VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

910.

AUSPICE.
INAUGURALEM

TIONE

ate Magnifici & Nobi-
s in Illustrissima
ea.

IDIO

I
tissimi, Excellentissimi

TERI, J. U. D.


alis Scabinatus Facul-
tis, Promotoris, & Præce-
n devenarandi.

FIA

troq; Jure honores
oralia.

. 17. Novembris.
n examini

ps. Misnicus.
tus Ordinarius.



GÆ
I FINCELII

LIII.

